

**Bertin, Exupère-Joseph - candidat /
Falconet, Camille - président. - An
potus ex foliis Thé ad sanorum
diaetam apud nos pertineat ?**

1739.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°119***



119.



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Sabbati 21 Martii
M. DCC. XXXIX.

M. CAMILLO FALCONET,
Salubris Consilii Regii Socio, è Regiâ Inscriptionum
& Numismatum Academiâ, Doctore Medico, Præside.

An Potus ex foliis Thé ad sanorum dietam apud nos pertineat?
I.

POTUS, altera victûs pars, haud magis ad
sitim restringendam, quàm ad cibum dissol-
vendum, tum diluendum chylum, indeque san-
guinem est necessarius. His præstandis nullus
in rerum Naturâ liquor est aptior eo, qui qualitatis omnis

2
expers, quâ fluidus duntaxat usurpatur. Talis comperta est Aqua simplex, quæ sine colore æque ac odore & sapore, ideoque levior, bibendo fit accommodatissima.

II.

CUICUNQUE liquori desint Aquæ simplicis dotes, aliis quantivis pretii redimi nequeunt. Vino, Cerevisiæ, Mulso, ac tot diversorum generum Potionibus suum detrudere pretium nolim, cum ægrotantibus egregiè, ubi usus est, opitulentur: Ast ob hanc ipsam causam, præter alias bene multas, homini sano, cui fluido tantum est opus, merito suspectæ; quod adversæ præsidia valetudinis, in prosperâ consumi non debeant.

III.

SINGULIS in regionibus homines, suo quique modo, pocula concinnarunt: nec sua quibusque fuerunt satis. Apud omnes fermè à sæculo circiter invaluit potus ex foliis Thé, tam sanitatis nomine quàm voluptatis. Thé, sic Rusticis Sinensis Imperii Provinciæ *Fokien*, quò primùm appulerunt Europæi, Urbanis *Tcha*, frutex non ita pridem iis cognitus cum hieroglyphici huic exprimendo characteres desint, *Tsja* Japonensibus apud quos perinde ac Sinenses indigena, Plantæ genus est flore rosaceo petalis ut plurimum sex in orbem positis, ex cujus calyce monophyllo sexpartito surgit pistillus plurimis staminibus stipatus, qui deinde abit in fructum trigonum in tria loculamenta divisum, apice trifariam dehiscencia, semineque facta globoso. Plantam à peritissimo inter primores (a) Botanico sic descriptam,

a Bernard.
de Jussieu.

3
 censet ipse referendam ad sectionem vj^{am} vj^æ classis à Tournefortio institutæ. Species autem an plures an verò una quæ ex solo cælove aut culturæ ratione varias induat formas, necdum satis liquet. Suspiciantur etiam (b) nonnulli variæ foliorum præparationi eorum quæ ad nos deferuntur diversitatem acceptam ferri debere, hincque nobis provenire *Thé-Bouy* Tartaris Sinensibus *Cava-Tzchay* ad verbum Nigrum *Thé*, specie ipsa à viridi non diversum.

b Cæsp.
 Neuman.
 Lect. diæ-
 ter. Liss.
 1755. in 4^{to}.

I V.

IN decerpendis foliis tum in delectu summa observatio. Tenuiora simul & teneriora quæ Martio mense primæ sunt germinationis, iis quæ sunt tertiæ ineunte Maio longè præcellunt. In præparandis verò omnis, quæ multiplex cura est, eò spectat ut virus quoddam narcoticum cum succo viridi exhalent, dum ad ignem arte adhibitum siccescunt & inter manus volutata crispantur. Ipsa met pulverata ex aquâ fervente crenatæ arundinis rotatu in spumam actâ Japonenses hauriunt, at laticem solum cui incocta fuerunt Sinenses: utrique regio, quibus licet, apparatu, cum suppellectile immensâ, creberrimis poculis se invitantes. Jam porrò sale volatili oleoso fœta esse ipsa foliorum fragrantia attestatur, huicque Alkalinam subesse indolem indicare videntur, tam lac ab acore defensum quàm Tartari Cremor ebulliens ex affuso foliorum decocto: hujus verò salis portionem aliquam foliis *Thé-Bouy* paulò plus torrefactis ignis haud dubio subripuit, fixo sale superstite terræ innexo, undè sapor austerus levi amaritudine nec ingrata conditus.

POTUS Thé, si Japonenses & Sinenfes audiamus, stomachum purgat & everrit, viscera roborat, pectus lentefcente pituitâ expedit, Diaphoresin & urinas movet, caput tandem exhilarat & somnum arcet. Bene fit tantis præconibus qui potu illo assiduo forsan sibi præcavent à damnis, quibus ex oryzæ quotidiano esu, ac cerevisiæ potu quam *Sacki* appellant, obnoxios alioquî fore existimandum est. Verum aliter est nobis, stomachum bene habentem quî non lædat potio sitim si non incendens at saltem excedens? Annon inde *Atonia* potius quàm robur? Innocuos pulmones sollicitare quid attinet? Sanguini deinde serum detrahi necessarium, aut superfluum induci, spiritibus in motum actis *agrypniam* excitari, profectò corpori per se valenti labefactando sunt non firmando. Profit Batavis hæc potio, non miror, denso habitu & in crasso aëre viventibus. Venienti etiam infirmitati nos per illam occurramus, concesserim imò suaserim. At, in sano perfectoque statu Potum ex foliis Thé nobis inutilem quâvis affirmatione contendam.

Non ergo Potus Thé ad Sanorum diætam apud nos pertinet.

Proponebat Parisiis, EXUPERIUS-JOSEPHUS BERTIN,
Rhodonensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H.
1739. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1739.